

filio, ac virtute belli totius administratio sita erat, nihil, nisi de manu cum hoste conferenda, ac justo congressu marte, cogitare; quique levioribus praeliis semper superiores fuerant, si tota acie decerneretur, amplissimam de rege sibi victoriam pollicebantur. Davalus castra Gallorum undique inspicere, situm diligenter observare, loca notare, quo insisterent Helvetii, quo Italicus peditatus stationem haberet, ubi locati equites, qua parte tormenta disposita; agrorum fossas, vias, ingressus, exitusque illarum optime noverrat; nocte intempesta ad arma hostem excitare, fossas propugnacula, vineasque propius agere, levioribus certaminibus laceffere, victoricia signa nonnunquam in castra reportare. Neque vero obsessi Antonio Levæ minus parebant; ex obsessa enim urbe sæpe exibant, improvisi hostes adoriebantur. Ioannes Mediceus, cui rex paulo ante trium millium peditum, ac trecentorum equitum præfecturam tribuerat, vir bellica virtute, ac militari ausu illustris, glande plumbea juxta pedis talum transfixus est, atque ob id Placentiam delatus praelio interesse non potuit.

*Ioannes
Mediceus
glande percussus Placentiam deducitur.*

Rex, ut appropinquantibus Cæsareanos exciperet, in valle, quam Vernacula, rivus ex Parco fluens, præterlabitur, castra locat; a fronte, a tergo, atque a sinistro latere vallo, ac præaltis fossis circumcingit; a dextro in Parci Ticinensis muro satis sibi esse munimenti arbitratus; Mirabello præcipue, quod olim venationi operam daturi Mediolani Duces incolere consueverant, nonnullis equitum turmis, ac manipulis peditum firmato. Davalus ex adverso, sex instructis acierum ordinibus, quarum duæ equitum, quatuor peditum erant, exercitum disponit: peditum primam ex duobus Germanorum, totidemque Hispanorum millibus, admixtis Italis, constituit; huic Vastium Marchionem præficit: secundæ ex solo Hispano peditatu ipse Davalus præerat: tertia, & quarta, quæ ex Germanis constabant, Proregi, Caroloque Borbonio parebant. Rebus omnibus ad pugnam ineundam comparatis, de omnium Ducum sententia vi. kalen. martias, intempesta nocte, castra movet: ante solis exortum per fabros lapidarios, adjuvante milite, passibus sexaginta muri solo æquatis, per ruinas Parcum ingreditur. Prima peditum acies Mirabellum,